

imperatorem non tam iuberet, quam cogeret, praecipere animo victoriae dignitatem laurea-
 eque amplitudinem. Quid Tiberium Caesarem commemorem Vobis, Auditores? qui, quum vltior Hispania ei
 matrique eius templum vellet, Asianorum auctoritate exemploque, dedicare, contempsisse perhibetur et
 reiecisse vanitatem istius honoris, sociosque ac ciues vehementer rogasse, vt, si ipse fatis concessisset,
 memoriam nominis ipsius rerumque gestarum recolerent saepius inter se crebrisque sermonibus vsurpa-
 rent: quae haberentur omnium splendidissima delubra, mansurae effigies. Quid vero Miltiadis, quid
 Deciorum, quid Scipionum, fortitudinem et constantiam sequutam putatis? Quid Cimonis liberali-
 tati, quid iustitiae Aristidis, quid Fabricii continentiae, quid bonitati Phocionis, propositum fuisse
 existimatis? Quid Ciceronis consulis mirificam vigilantiam, totque inimicitarum, periculorum, in-
 fidiarum, mortis denique ipsius, incredibilem contemtionem, spectasse iudicatis? Quorsum creditis
 tot aliorum innumerabiles virtutes, omnibus in ciuitatibus, suos direxisse cursus? Certe fides anna-
 lium voxque grauis clamat, omnes, neglecta praetermissaque aliorum emolumentorum vanitate et fal-
 lacia, contendisse summo studio et properasse ad propriam certamque gloriae et laudis possessionem.
 Facetum illum in omni oratione simulatorem mihi quidem nunquam patiar persuaderi, Auditores, co-
 piam doctrinae suae et sapientiae gratis et cum summo vitae periculo facturum fuisse tantae multitu-
 dini discipulorum, qui diuiriis opibusque in primis florerent, quum ipse in paupertate maxima omnium-
 que propemodum rerum inopia iaceret, nisi perpe-